

Jan Bechyně:

**O RASÁCH DRUHU LINOGRAPHA MUSICALIS STÅL.****DE SUBSPECIEBUS LINOGRAPHAE MUSICALIS STÅL.  
(COL. PHYTOPH. CHRYSOMELIDAE).**

Species haec in tres subspecies geographicas Americam meridionalem tropicam incolit:

**1. *Linographa musicalis* subsp. *musicalis* Stål.**

Stål 1859: Öfv. Vet. Ak. Förh. XVI, 1859, pg. 315.

Stål 1865: Monogr. III, 1865, p. 186 et 339.

Achard 1923: Fragm. entomol. 1923, p. 89—90 (ex Deuterocampta).

Syn.: *L. muricata* Motsch.

Motsch. 1860: Schrenck's Reisen Amurl. II, 1860, p. 198.

Hab. Brasilia (coll. Achard, coll. Nickerl).

Long. corp. 9—9,5 mm.

Elytris nullo modo transversim luteo-fasciatis.

Elytris nitidis, interstitiis sat distincte microscopice punctulatis, tricoloribus: luteis, brunneo et nigro ornatis:

Vitta suturali communi in intervallo primo (suturali) brunnea, antice et postice abbreviata, antice bifurcata [intervallo scutellari (abbreviato) toto luteo]; rarius hac vitta defficiente (= ab. *pallida* n. ab.); in intervallo 3<sup>o</sup>: macula elongata anteriori, basin haud attingente et alia macula simili in medio, nigris, macula anteapicali brunnea apicibus nigro terminatis; in intervallo 5<sup>o</sup>: macula brunnea valde elongata basin attingente apicibus nigroterminatis, vitta brunnea apicibus etiam nigroterminata, ante medium oriente et ante apicem limitata; in intervallo 7<sup>o</sup> (humerali) vitta longitudinali brunnea, basin haud attingente, ab humero pone medium percurrente, calo humerali atque huius vittae apice nigris atque alia macula brunnea valde elongata, in ambobus apicibus nigricante, anteapicali; in intervallo 9<sup>o</sup> (hypermarginali) macula elliptica nigra in  $\frac{1}{4}$  anteriori posita et vitta anteapicali valde reducta, brunnea, apicibus nigricante.

**2. *Linographa musicalis* subsp. *auroplagata* Achard.**

Achard 1923: l. c. pg. 90.

Hab. Brasilia: Prov. Goyaz: Jatahy (coll. Achard, *series typica* in coll. Musei Nat. Pragae conservatur).

Long. corp. 9—9,5 mm.

Elytris brunneis, transversim fasciis lutescentibus ± interruptis ornatis.

Elytris opacioribus, profunde punctatostriatis, intervallis vage et parum distincte microscopice punctulatis; tricoloribus: brunneis, maculis nigris et ornamentis luteis ornatis.

Ornamentum luteum compositum est ex: 1) macula magna subquadrata scutellari-basali (in sutura interrupta), in intervallis 1<sup>o</sup>, quod intervallum hic inter punctorum seriem primam et inter seriem scutellarem abbreviatam numerandum est, 2<sup>o</sup> (hic postice fortiter excavata), 3<sup>o</sup> et 4<sup>o</sup>; 2) macula magna humerali (basin etiam attingente), in intervallis 6<sup>o</sup> (hic sat longe acutangulatum

prolongata), 7° (maxime abbreviata) et in intervallis sequentibus fere ad  $\frac{1}{3}$  longitudinis abrupte dilatato, in intervallis 8°—10° recte truncata, in intervallo marginali (ultimo) extus oblique prolongata; 3) macula parva discali transversa, ante medium posita, intervallo 3—5 continente; 4) macula parva subquadrata, post medium in intervallis 2—3 posita; 5) macula magna semilunata e plurimis maculis inter se confluentibus composita: fascia transversa media a margine ad punctorum seriem quintam attenuatim percurrente, cum vitta marginali (in intervallo ultimo) apicem versus dirigente (suturam haud attingente) conjuncta, quae vitta in intervallo 4—6 fortiter dilatata et hic recte truncata.

Maculae nigrae sic dispositae sunt: in intervallo 1° macula quadrata plagam luteam iuxta; in intervallo 3° ut in forma typica, sed ad apicem elytrorum solum modo macula unica quadrata; in intervallis 5°, 7° et 9° maculis quadris ut in forma typica dispositis, in intervallo 9° macula media fortiter prolongata.

### 3. *Linographa musicalis* subsp. *nitida* n. subsp.

Hab.: Brasilia: Matto Grosso: Corumba (ex coll. Achard; *series typica* in coll. Musei Nat. Pragae conservatur).

Long. corp.: 8—8,5 mm.

Præcedenti similis, sed minor, brevior, magis convexa, magis nitida, picea, pedibus fere nigris, elytris piceo-nigris, ut in præcedenti luteo-ornatis. Elytrorum intervallis dense punctulatis.

---

283.

Jan Bechyně:

### DE DUABUS VARIATIONIBUS NOVIS MONOCAMPTAE CRUCIGERAE SAHLB. (COL. PHYTOPH. CHRYSOMELIDAE).

Species haec ornamento nigro pronoti et elytrorum valde variabilis est:

- 1 (4) Plaga nigra pronoti in medio haud interrupta.  
 2 (3) Fascia nigra elytrorum media nec suturam nec marginem attingente.  
 ..... **f. typica.**  
 3 (2) Fascia nigra elytrorum ad suturam haud interrupta. (Rio de Janeiro, ex coll. Achard)..... **ab. continua** n. ab.  
 4 (1) Plaga nigra pronoti in medio longitudinaliter interrupta (Rio de Janeiro, ex coll. Achard)..... **ab. bimaculata** n. ab.
-